



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

172. Filium natu majorem indignè ferentem pater placat.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)



mus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus est. Et cœperunt epulari. *Luc. 15. v. 22. 23. 24.*

## MEDITATIO CLXXII.

*Filium natu majorem indignè ferentem pater placat.*

I. ERat autem filius ejus senior in agro, & cum veniret & appropinquaret domui, audivit symphoniam & chorum: & vocavit unum de servis, & interrogavit, quid hæc essent. Isque dixit illi: Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit. *Luc. 15. v. 25. 26. 27.*

II. Indignatus est autem, & nolebat introire. Pater ergo illius egressus cœpit rogare illum. At ille respondens, dixit patri suo: Ecce tot annis servio tibi, & nunquam mandatum tuum præterivi, & nunquam dedisti mihi hœdum, ut cum amicis meis epularer. Sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum. *Luc. 15. v. 28. 29. 30.*

III. At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. Epulari au-



autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus est. *Luc. 15. v. 31. & 32.*

## MEDITATIO CLXXIII.

*Parabola XXII. Villici iniqui, facientis sibi amicos de mammona iniquitatis.*

**I.** Dicebat Iesus ad discipulos suos: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum: & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius. Et vocavit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ: jam enim non poteris villicare. *Luc. 16. v. 1. & 2.*

**II.** Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia dominus meus aufert à me villicationem? Fodere non valeo, mendicare erubesco. Scio, quid faciam, ut, cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas. *Luc. 16. v. 3. & 4.*

**III.** Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam, & sede citò, scribe quinquaginta. Deinde alij dixit: Tu verò quantum debes? Qui ait: centum coros tritici. Ait illi: Acci-